OBSERVATIONES ASTRONOMICAE

DISTANTIARUM A VERTICE,

ET

ADSCENSIONUM RECTARUM

STELLARUM QUARUMDAM INERRANTIUM

SOLIS ITEM, ET PLANETARUM,

QUAS

IN SPECULA BUDENSI MONTIS BLOCKSBERG

ET INSTITUIT, ET IN CALCULUM REVOCAVIT

DANIEL KMETH E S. P.

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, INSTITUTI ASTRONOMICI ADIUNCTUS, ET COMMEMBRUM FACULTATIS PHILOSOPHICAE REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS PESTHIENSIS.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

1821.

ADMODUM REVERENDO, AC EXIMIO PATRI

MARTINO BOLLA

CLERICORUM REGULAR. SCHOLARUM PIARUM

PER HUNGARIAM, ET TRANSSILVANIAM

PRAEPOSITO PROVINCIALI,

VIRO

VIRTUTE, ET DOCTRINA CONSPICUO

CONSILIIS GRAVI, VITA AMABILI,

SUORUM PRAESIDI, ET PATRI EXOPTATISSIMO

HOS

IN ASTRONOMIA CONATUS

DEVOTUS AUCTOR DEDICAT.

ADMODUM REVERENDO, AC EXIMIO PATRI

MARTINO DOLLA

CLERICORUM REGULAR. SCHOLARUM PIARUM

PER VENETIAM, ET TRANSSILVANIAM

PRAEPOSITO PROVINCIALI,

VIRO

VIRTUTE, ET DOCTRINA CONSPICUO

CLEMENTES GRAVI, VITA AMICITIA,

SUORUM PIETATIS, ET PATRI EXOPTATISSIMO

HOS

IN ASTRONOMIA CONATUS

DEMUM AUCTOR DEDICAT.

Admodum Reverende, ac Eximie Pater Praeposite Provincialis!

Singularis prorsus, et paternus Tuus erga me animus, et multis elucens indiciis, factisque plurimis in me derivata benevolentia Tua, tum multiplex in scientiis omnis generis parta, editis etiam operibus manifesta, et a mundo erudito agnita rerum cognitio caussa fuit, ut hos recentioris Astronomiae in Hungaria fructus Tibi dedicarem. Pietatis profecto erga Te meae nullum possum adferre maius argumentum, quam si non verbis modo, sed factis etiam contestabor me partium mearum exsequutionem in votis ita semper habuisse, ut omnem impenderim operam, quo exspectationi Tuae, et conceptae de me opinioni quam optime responderem. Tu, qui Astronomiae scientiam inde ab incunabulis eiusdem per omnes aetates crescentem, et ad summum tandem florem perductam opere

Tuo

Tuo doctissimo ita evolvisti, ut eius non profundam solum cognitionem hausisse, sed ipsa etiam abdita penetravisse videare, coniicies facile ex hoc opusculo, quo nisu, quibus vigiliis opus fuerit et ad observationes tam numerosas brevi tempore instituendas, et ad eas superatis prius marte proprio difficultatibus in calculum vocandas. Quos publico bono consecratos conatus dum Tibi Admodum Reverende Pater Praeposite Provincialis summa cum veneratione offero, Te simul maiorem in modum exoro, ut me paterno, Tuo favore, quo mihi iam diu perfrui licuit, porro quoque complecti digneris.

In scientiis, prout hodie coluntur, neminem adeo rudem esse existimo, ut finem ignoret, in quem observationes Astronomicae instituuntur. Unicus hic est theoriae motuum corporum coelestium et comprobatio, et perfectio. Illis namque pro fundamento positis motus planetarum determinantur, tabulaeque, quarum ope situs illorum pro qvovis momento calculare liceat, aut conduntur, aut a naevis suis perpurgantur; unde suapte consequi fatendum, observationes in usum eiusmodi adhibendas perfectiores esse debere omnibus illis, quae ante nostram aetatem instituebantur. Perfectio vero ista non a solo observatore, sed in primis a perfecto machinarum observationi destinatarum adparatu petenda est, ita quidem, ut ab hoc omnis observationum valor aestimetur, tantumque his pretii ab Astronomis tribuatur, quantum perfectionis adparatui illi ab artifice tributum esse noverunt. Quodsi scientiam Astronomicam, quae priore seculo ad finem vergente, et hoc ineunte ad maximum florem perducta est, penitius contemplemur, fateri cogimur, institutas ante hoc tempus observationes theoriae in summo fere gradu collocatae minime respondisse, multisque adhuc passibus ab hac remotas ad eius culturam parum conferre potuisse. Dictum id esto non de Budensi solum vetere specula, sed de plerisque aliis, quae in omni ferme Europae provincia complures numerabantur, quae observationes factas libris intulisse ideo videntur, ut in praestantiorum penu-

rai

ria utiles essent, nomenque, et conatus observatorum posteritati commendarent. Una illa erat, antequam Panormitana, Gothana, Regiomontana exsurgeret, velut omnium ceterarum Regina Grenovicensis in Britannia specula, quae necessariis, finique suo adcommodatis organis provisa quasi leges dictabat, observationesque fide dignas Astronomis sive in condendis solis, Lunae, aliorumve Planetarum tabulis, sive in refractione determinanda, sive in lucis aberratione, axisque terrestris nutatione examinanda desudantibus suppeditabat.

Itaque ut necessitati tantae regna succurrerent, velut signo dato nova Uraniae templa erigere, ea aptissimis organis providere, et, quod ab aliis peti antea debebat, ipsi investigare coeperunt. Ita celeberrimi viri Piazzi Panormi, Baro de Zach Gothae, Oriani Mediolani, Gauss Göttingae, Bessel Regiomonti, aliique complures et scientiam astronomicam egregie percoluerunt, et sibi nomen immortale procuraverunt.

In Hungaria successu felicissimo omnis generis scientiae colebantur ita, ut se cultissimas Europae nationes aut adsequutam esse, aut multas antecessisse gloriari possit. Astronomia sola fuit, cuius cultura florem in aliis regnis iam productum lentis admodum passibus sequebatur. At nihil sub coelo est tam ardui, in quo vincendo natio Hungara et egregiorum ingeniorum feracissima, et adminiculorum ad quidvis praestandum abundantissima palmam sibi praeripi sinat. Quapropter ut scientiis astronomicis quam optime consuleretur, et vetus observatorium deserere, novumque exstruere, et hoc eliminatis antiquis organis novo prorsus, et perfecto adparatu organico dotare necessarium esse iudicavit, quo id et praestitutis finibus, et iustis in praesente scientiarum statu astronomorum votis plene responderet; quae omnia ad nutum Clementissimum Augustissimi Imperatoris, et Regis Hungariae Francisci I., atque sub peculiari protectione Serenissimi Caesareo-Regii Archiducis Josephi regni nostri Palatini et feliciter susceptа, et ita anno 1814. in monte Blocksberg Budae adsito praestita sunt, ut nova haec specula et situ suo, et copia organorum, selectuque

ante

ante alias sese distingveret, atque commune in omnibus desiderium excitaret, ut tanta Regis liberalitas, tantus Principis favor, tanta virorum illustrium cura, tantaeque sumtuum impensae redituris inde solatiis coronarentur.

Quo magis fama aedificatae, et organis ex officina celeberrimi nostra aetate artificis Reichenbach petitis provisae speculae percrebuit, eo maiorem conceperunt fiduciam et exteri, et Hungari ab ea nihil, nisi quod optimum, nisi quod numeris omnibus absolutum esset, exspectari posse, eoque magis Hungari, ut sunt de bono publico solliciti, et scientiarum amantissimi, documento quodam edoceri anhelabant, quid organa tam rara ad perfectionem Astronomiae conferrent, certi, gloriam erectae et tam liberaliter instructae speculae, quae Fundatoribus eiusdem propria est, tum solum integram futuram, quum hanc promerita ex usu, et fructibus laus comitabitur. At huic eorum voto, quantum memini, adhuc satisfactum non est. Interruptis enim identidem ob susceptas varii generis mutationes observationibus Astronomi tantopere aliis distinebantur, ut eos rei aedili magis, quam Astronomicae praeesse diceres. Ceterum existit typis procusum Diarium observationum, quae primis illico ab origine speculae annis institutae fuere, quod antequam lucem videat publicam, illas, quas ego et institui, et in calculum vocavi, hoc opusculo complexus sum.

Speculam, et adparatum eius organicum hoc loco describere supervacaneum existimo veritus, ne auribus benevoli Lectoris rem saepe auditam recoquendo molestiam facessam. Alioqui descriptio haec legi potest in scriptis periodicis: Tudományos Gyűjtemény anni 1817. Tom. VI. IX. Patrio idiomate copiosius deducta, et in Vaterländische Blätter für den Österreichischen Kaiserstaat An. 1819. Num. 21. 23. 24. in lingvam Germanicam traducta. De solis itaque observationibus paucas adferre animadversiones iuvabit.

Duplicis hae sunt generis, prout duplici instrumento factae fuere. Distantiae nempe a vertice Circulo verticali, et multiplicante, solatio illo Astronomi, et speculae decore mensuratae, et Adscensiones

rectae ope Culminatorii observatae. Utraeque sunt et stellarum inerrantium, et Solis, Planetarumque. Videamus primum Distantias a vertice.

Distantiae a vertice stellarum ad eruendam altitudinem poli supra horizontem primum, tum hac ad amussim determinata ad investigandas Astrorum declinationes observantur. Elevatio ergo poli supra horizontem elementum est, sine quo Astronomus nihil suscipere potest, quod ad eruendas absolutas declinationes serviat. Absolutas autem declinationes hic eas intelligo, quae nulla ullius Astronomi auctoritate nituntur, sed ex observatione distantiarum a vertice, et elevatione poli speculae suapte ita consequuntur, ut a detectis hactenus astrorum positionibus minime dependeant. Quare me etiam tacente facile intelligitur, quanta diligentia, quanta praecisione hoc declinationum fundamentum investigandum sit, quum error, qui in determinatione altitudinis poli committitur, omnibus illius auxilio stabiliendis declinationibus communicetur. Ceterum declinationes absolutae nec hac ratione obtinebuntur, nisi elevatio poli ab influxu eorum omnium, quae eruere primum oportebit, libera fuerit. Ad hoc duo potissimum requiruntur: absolutae distantiae a vertice, et usus earumdem sine hypothesi in eruenda poli altitudine. Quod prius adtinet, maximum apud Astronomos aetate nostra priores impedimentum erat adparatus eorum organicus certo errori obnoxius. Omne scilicet organum ad singulares altitudines, aut distantias a vertice adhibitum errori collimationis dicto, et in eo consistenti subiacet, quod nulla Mechanici arte obtineri possit, ut tubi sive circulo, sive quadranti adpliciti axis opticus per centrum eorumdem praecise transeat, quo fit, ut magis, aut minus astrum a vertice distare machina eiusmodi ostendat, quam reipsa in universo distet, prout axis ille vel infra centrum deprimitur, vel supra hoc elevatur. Facile quidem est errorem hunc detegere stellarum situs ab aliis determinatos cum observatis comparando, sed amittit observatio valoris nonnihil, quod auctoritati subiiciatur.

Neque circulus noster verticalis ab hoc errore liber est, sed praecipua perfectionis eius laus inde repetitur, quod error collimationis

ipsa

ipsa observatione tollatur adeo, ut quaevis illius ope facta observatio, nova in universo detectio dici mereatur. Collocato scilicet ad situm verticalem exactissime instrumento Tubus cum externo Circulo ad motum concitatus ad astrum observandum dirigitur, hoc ope fili horizontalis in tubo tensi scinditur, et illico distantia eius a vertice cognoscitur, sed dicto paullo ante errore adfecta, ad quem evitandum Astronomus facta una observatione circulum externum figit, soluto circulo interno totam machinam in partem priori oppositam convertit, contra astrum collimat, et distantiam eius a vertice alteram obtinet. Dupla haec distantia duplum includit errorem collimationis, sed signis contrariis adfectum, quod in parte altera minor, in altera eadem quantitate maior distantia mensuretur, medium ergo Arithmeticum omni errore eliso exactam distantiam prodet.

Obtentis eiusmodi stellarum a vertice distantiis ad determinandam poli altitudinem opus est, quod quidem factu facillimum est, quum singulae distantiae meridianae stellarum ad earum declinationes adplicatae, sola additione, aut subtractione elevationem poli supra horizontem producant. Sed declinationes, ut iam praemonui, obiectum sunt, quod Astronomo stabilita prius poli altitudine, omni studio investigandum superest. In hac igitur disquisitione abstinendum est illis, et liberior methodus ad inveniendam poli elevationem quaerenda. Methodum hanc omni ex parte securam suppeditant stellae Circumpolares dictae, quae, quod polo vicinae sint, in loco observationis nunquam occidere, sed tam supra, quam infra polum meridianum transire videntur, aliis infra horizontem invisam meridiani partem transgredientibus. Observata namque stellae eiusmodi tam supra, quam infra polum distantia a vertice ostendit directe poli altitudinem, quin declinationem eius, sensu nostro adhuc incognitam, in subsidium vocare necesse sit.

In hunc usum factae sunt per me observationes hoc in opusculo primum locum occupantes, quae qualem elevationem poli speculae nostrae suppeditent, videamus. β Ursae minoris, et γ Draconis ad

hoc

hoc eligere placuit in utraque culminatione observatas. Distantiis Zenithalibus observatis a Temperie, Aberratione, et Nutatione purgatis, atque ad meridianum, et ad initium anni 1819. reductis medium est

	β Ursae minor.						γ Draconis					
	supra Pol.			infra Pol.			supra Pol.			infra Pol.		
Distant. observ.	27°	23′	57.″86	57°	35′	28.″83	14°	26′	5.″20	70°	32′	22.″29
Refract. med.			31.42		1	35.19			15.59		2	50.05
Summa	27	24	29.28	57	37	4.02	14	26	20.79	70	35	12.34
	57	37	4.02							14	26	20.79
Dupl. alt. aeq.	85	1	33.30							85	1	33.13
Simpla	42	30	46.65							42	30	46.56
Altitudo poli	47	29	13.35							47	29	13.44

Haec de adproximata elevatione poli paucis dicta sufficiant; veram enim, quod non sine rubore dico, ignoramus ob defectum copiosarum observationum; quae spatio sex annorum quare institutae non sint, facilius est Lectori benevolo ex adiunctis coniicere, quam mihi verbis proferre. Ad veram altitudinem poli velut pars ad totum refractio refertur, quae quoniam extra dubium necdum posita est, illam tunc tantum obtinebimus, quum hanc ex innumeris, et in diversa supra horizontem altitudine institutis observationibus elicitam ad distantias observatas adplicare poterimus.

Declinationes stellarum ex observationibus derivare est res omnium facillima. Vel enim Distantia observata, prout res postulat, correcta ab elevatione poli, vel haec ab illa subtrahitur, et residuum declinationem indicabit borealem primo, australem altero casu astri in parte meridionali verticis positi. Ceteras inter memorari hic merentur declinationes solstitiales Solis, seu obliquitas Eclipticae, quae pariter e distantiis a vertice eruuntur. E meis ternis in solstitio hiberno anni 1818. factis observationibus adhibita propria Adscensione recta haec fluit Eclipticae obliquitas in hypothesi elevat. poli 47 gr. 29. min. 13. sec.

21. Dec.

	21. Dec.			23. Dec.			24. Dec.		
Declin. solis	23°	27′	37″.05	23°	27′	35.91	23°	62′	50″.47
Red. ad. solstit.			12.51			15.95		1	0.19
Obliq. Eclipt.	23	27	49.56	23	27	51.86	23	27	50.66

Quod iam bonitatem observationum, e qua bonitas organorum sequitur, concernit, eam Astronomi ut plurimum e mutua inter se, et cum coelo conformitate aestimant, nisi locus dubitandi adsit, machinam ad observandum adhibitam errori alicui constanti subiacere. Quaenam sit in sequentibus observationibus conformitas, uno obtutu in distantiis α Ursae minoris perspici potest. Singulares profecto hae sunt, et Circulo Reichenbachiano dignae observationes, illi soli in acceptis referendae, qui ingenio suo, et dexteritate machinas ad eum perfectionis gradum adduxit, ut singula fere in coelo secunda et videre, et metiri liceat. Illud autem, quod observationes hae, ut patet, diversis annis, diversis anni partibus, subque diversa aeris temperie, et circulo interea identidem soluto, et rursus composito factae fuerint, indicio esse potest eumdem ab errore constante liberum esse. Occurrunt quidem observationes nonnullarum stellarum plusculum a se invicem discrepantes, sed quis id miretur, qui virium naturae gnarus tam multiplicium rerum in machinam metallicam agentium influxum expendit? quae nec in manu artificis, nec in potestate observatoris positae sunt. Illae nubeculae epidermidis ad instar tenues, quae in superiore coeli regione resident, illique lacteum quemdam colorem inducunt, illa subtilis nebula, quae non illico terrae superficiem lambit, sed altius sublata aeri innatat, illa varia in diversis stratis aeris temperies totidem sunt caussae, quae refractionem inaequalem reddunt, et sic bonitati observationum multum officiunt. Sane per diversam aeris temperiem non lucis tantum radiorum, sed et ipsius instrumenti directionem turbari nullus est, qui dubitet. Expanduntur enim calore corpora, frigore constringuntur, utrumque ergo peragitur, ubi pars corporis altera a frigore, a calore altera adlambitur, idque eo inaequalius, quo maius inter utramque temperiem discrimen interest. Optandum eapropter esset, ut observatio-

tiones sub aperto coelo fierent, ubi nec lucis radii prout nunc speculam ingredientes refringerentur, nec organum in aequilibrio cum aere externo existens ab accepta directione dimoveretur; quod quia fieri nequit, curandum esset opinione mea, ut temperies interna quam proxime ad externam accedat.

In specula nostra, quae novem supra triginta ianuis providetur, malum hoc fortasse, quam alibi, maius est. Arcetur enim aer externus adeo, ut ei nonnisi tunc, dum ad observandum acceditur, ingressus pateat. Tum vero quanta aeris fiat confusio, oculis distingvi potest. Ceterum opinio haec est mea, nec ea pertinax; plura experti Astronomi alius sententiae esse possunt.

Solis in primis observationes incommodum istud persentiscunt. Irruentibus enim per apertas valvas eius radiis, quum nullum adsit umbraculum, pars tantum Circuli illuminatur, calefit, expanditur, pars alia in umbra haeret, situmque suum vel tuetur, vel modo opposito inflectitur. Fortasse inaequali huic inflexioni adtribuenda est pars aliqua illius anomaliae, quae inter obliquitatem Eclipticae hibernam, et aestivam passim observatur. Non temere istud, sed propria fultus experientia adsero. Anno enim 1818, quum hiemale solstitium negligere nollem, tam distantiam Solis a vertice Circulo, quam eius Adscensionem rectam Culminatorio observavi. Capta videlicet distantia Solis antemeridiana ad culminatorium nonnihil remotum cucurri Adscensionem rectam observaturus, qua obtenta ad circulum reversus coeptam operationem continuavi sed eo effectu, ut eruta inde solis declinatio reliquis aliquanto minor prodiverit, ut e Tabularum errore Solis observationibus adiecto manifestum est. Prorsus idem experiri in aequinoctio licuit, meque in ea opinione confirmavit, quod Circulus sex minutorum spatio a sole illustratus, inaequaliter expansus, et ab accepto situ dimotus fuerit. Libellam hoc in casu pro correctione situs verticalis adhibere non tantum non iuvat, sed etiam perniciosum est. Spiritus enim vini subtile corpus actionem caloris, quam aes citius persentiscit, et qua fluidum citius ad motum concitatur, quod facile admittent ii,

qui

qui eam vel solo halitu ad motum sollicitari experti sunt. Fortasse inde etiam repeti potest difformitas illa Noniorum, quae non raro intensa omni oculorum acie in Circulo animadvertitur, qui tamen alias aut optime consentiunt, aut paucis admodum secundis differunt.

In constructione porro sequentium tabularum id ante omnia prae oculis habui, ut observationes non nostro tantum tempori, sed sequuturae etiam aetati usui essent. Quapropter, quae calculo trigonometrico evidentia sunt, ea ut semper valitura adnexui, ceterorum vero nihil praetermisi, quae ad faciendam distantiarum a vertice adparentium in veras conversionem desiderantur. Id data opera factum est, ut, quibus usus harum observationum gravis futurus non est, et meliora elementa, siquae norunt, substituere, et naevos, siqui in calculum irrepserunt, facile detegere, et emendare valeant. Refractio sola deest multis adhuc dubiis involuta. Observationes igitur stellarum, quas fixas, inerrantes nominamus, novem columnis constant. Prima annum, mensem, et diem civilem nempe a media nocte computatum exhibet. Secunda distantiam a vertice crudam, seu prout observata fuit, indicat. Et quia distantia haec non in meridiano ipso, sed paullo ante, vel post illum observabatur, tertia columna continet correctionem illi ad meridianum reducendae consentaneam. Porro refractio prout in diversis supra horizontem altitudinibus diversa est, ita nec in eadem altitudine invariata manet, sed pro ratione densitatis aeris, et eius temperiei mutationem subit, seu, quod idem est, a diversa mercurii in Barometro, et Thermometro expansione dependet. Columna quarta itaque correctionem hanc sub nomine Temperiei complectitur, et sicut refractionem, ita observatam a vertice distantiam vel auget, vel minuit. Quinta columna praecessio aequinoctiorum exprimitur, cuius ope observationes ad epocham primae Ianuarii anni 1819. reducuntur, quasi hac die omnes institutae fuissent. Sequitur in columna sexta Aberratio lucis, et in septima Nutatio axis terrestris. In octava distantia stellae a zenith omnibus dictis correctionibus emendata, et refractione duntaxat media adfecta comparet, qua igitur sola opus erit, ut in veram con-

ver-

vertatur. Nona denique columna conversiones Circuli observationis tempore factas designat.

In Solis observationibus praeter reductionem ad meridianum mutatiuncula declinationis certo angulo horario competente correctam, Temperiem, Parallaxim, Refractio etiam e meis tabulis secundum theoriam La Place constructis depromta occurrit, quibus ad observatam distantiam Zenithalem adplicatis, positaque pro fundamento elevatione poli rotundo, ut aiunt, numero sumta 47 grad. 29. min. 13. sec. Declinatio Solis adparens a nutatione adhuc pendens fuit eruta, corrigenda utique, ubi poli altitudo vera innotuerit. Ut vero de factis observationibus iudicium illico ferri possit, singulis observationum temporibus convenientes e Tabulis De Lambre declinationes calculo erui, has cum meis comparavi, et differentiam, errorem Tabularum vulgo dictam, atque columnae penultimae insertam detexi.

In reliquis Planetarum observationibus distantia extra meridiana ope reductionis in meridianam traducta, et per veram refractionem correcta declinationem adparentem dedit per parallaxim adhuc, aberrationem, nutationemque corrigendam. Sciendum vero tam solis, quam Planetarum centri distantias esse sumtas, non immediate, sed limbos reciproce sumendo, nisi contrarium in diario adnotandi oblivio caussa fuisset. Et haec de distantiis a vertice dicta sufficiant.

Alteram opusculi huius partem efficiunt observationes Adscensionum rectarum Culminatorio institutae. Et quidem primo loco se offerunt ter mille ducentae triginta observationes 147 Stellarum inerrantium, tum quingentae quadraginta septem Solis, et Planetarum, quas inde a secunda Augusti Anni 1818. usque ad vicesimam octavam Junii anni 1819. quo tempore mihi Instrumento hoc uti licebat, institui. Observationes hae utut simplicissimae, et facillimae esse videantur, sunt tamen innumeris, iisque opinione maioribus difficultatibus implicitae.

Ad rectum enim huius organi situm sequentia potissimum requiruntur. 1. Ut axis rotationis Tubi ad horizontem parallelus sit. 2. Ut

radius

radius visualis, seu linea collimationis, alias linea fiduciae dictus axi illi verticaliter immineat, et filum reticuli medium in directione huius lineae iaceat. 3. Ut filum hoc, proinde et radius visualis in planum meridiani adducatur.

Ad collocandum Tubi axem ita, ut horizonti parallelus evadat, servit libella pensilis duabus ansis in fine ad angulum desinentibus praedita. Adpenditur libella haec axi tubi ita, ut unci angulares politos axis cylindrulos, quorum ope rotatio peragitur, quodammodo ambiant. Si axis tubi reipsa horizontalis est, bulla aerea medium libellae occupabit locum, alioqui axem adtollendo, aut deprimendo tamdiu dirigenda, dum perfecte in medio consistat. Verum id tunc tantum obtinet, quum certum est, cavitates internas uncorum ab axe libellae aeque distare. Ad tollendum itaque omne dubium ex parte adversa culminatorii libella ita adplicatur, ut uncus, qui prius orientem respiciebat, nunc ad occidentem veniat. Quo facto, si bulla se ad medium componat, horizontalem axis situm indicabit, quodsi non, hunc cum horizonte angulum formare patebit ab indebito situ tam libellae, quam axis pendentem. Pars igitur erroris media axis, pars altera ipsius libellae mutatione corrigetur, repeteturque conversio ista tamdiu, donec adpensa ex parte utraque axi libella bullam aeream in medio quiescentem obtinuerit. Hac ratione evincitur quidem axem culminatorii horizonti parallelum esse, sed argumento ab ea hypothesi petito, quod cylindruli chalibei, quibus libella adpenditur, perfecte rotundi e manu artificis prodiverint, aut si non, quod unci libellae post factam eius in partem adversam conversionem, prorsus eadem, quae antea, e quibus pendeant, puncta occupent.

Radius porro visualis per focos lentis obiectivae, ocularis, et per medium filum, quod meridiani vices gerit, transire debet. Primum praestare Mechanici officium est, alterum Astronomi. Ut methodum astronomicam nonnihil incommodam silentio praeteream, solam mechanicam commemorabo, aeque, ac illa sit, tutam. Quaeritur nempe in terrae superficie punctum quoddam lucidum, quod filo meridiano distincte

***

bis-

bissecari potest, si converso in partem alteram tubo idem punctum bissectum manet, filum medium cum axe optico tubi consentiet, secus correctione adminiculo totius tubi, et motu reticuli facienda opus erit. Liceat mihi pauca hic animadvertere. Tubus noster meridianus secundam iam habet lentem obiectivam priori a Reichenbach substitutam. Qui ideam axis optici habent, per quem distinctissima obiecti imago efformatur, non improbabunt opinionem meam, qua duas remotas lentes ad situm parallelum deducere, earumque focos mutuo radio visuali coniungere difficile esse existimo. Subiicio caussam. Tubus noster meridianus ita constructus est, ut lens ipsius ocularis pro immobili haberi possit, utpote tubulo, qui aequabili directione alteri inscritur, inclusa. At lens obiectiva annulo aurichalcino helicibus intersecto imposita Tubo interebratur, quae helices quum obliquae esse debeant, omni revolutionis helicum spatiolo radium visualem a via debita alio detorquent, nec ad congruum situm adducunt, nisi signum aliquod, quod artifex pro directione adnotavit, adpareat. Ad haec, quod ambo disci lentem obiectivam constituentes ab invicem identidem separati, et deterso humore rursum repositi fuerint, dubitandi locus est, num illi situm eum obtinuerint iterum, quem eis olim artifex adsignaverat.

Collocati ita tubi axis opticus circulum quidem maximum in coelo describet, quin tamen hunc meridianum esse certum futurum sit, quum fieri possit, ut tubus ita collocetur, ut circulus eius revolutione in coelo descriptus meridianum in puncto aliquo intersecet, observationesque eo institutas alias maiores, minores iusto alias subministret. In eo itaque cardo rei vertitur, ut dictus tubi radius visualis planum meridiani durante tota revolutione teneat. Ad hoc investigandum utiles essent altitudines Solis correspondentes cum observationibus Culminatorii comparatae, nisi notum esset, hunc medio indigere anno, ut e maxima sua altitudine ad minimam delabatur. Astronomi itaque adhibent hunc in usum media, quae quovis die praesto sunt. Sunt nempe stellae fixae in diversis supra horizontem altitudinibus sitae, et nostra aetate bene determinatae. Harum itaque complures Culminatorio

ob-

observantur et vertici, et horizonti vicinae, quae a lucis aberratione, et axis nutatione immunes factae cum illis, quae e fixarum catalogis desumtae, et pro momento observationis calculatae sunt, conferuntur. Quodsi obtenta hinc differentia in omnibus aut exacte, aut proxime aequalis sit, tubum Culminatorii inde ab horizonte usque ad verticem in plano meridiani persistere indicium erit, deviabit secus ab hoc plano vel ortum, vel occasum versus, prout observata tempora excerptis e catalogo minora, vel maiora deprehendentur. Verum adcuratis ad hoc observationibus opus est. Quis vero est observandi tam peritus, qui de duabus decimis unius secundi partibus certo caveat? Hanc rem, etiamsi quis hoc in genere nunquam versabatur, facile perspiciet. Observantur nempe in reticulo Culminatorii transitus stellarum per fila, qui eo momento raro eveniunt, quo secundum aliquod horologii minutum integre completum est, sed desiderantur ut plurimum ad hoc, vel superfluunt partes eiusdem aliquot decimae, quas observator ita computat, ut spatiolum, quod stella intra unum secundum in tubo percurrit, in decem partes mente dividat, et inde, quotnam elapso secundo decimae adiiciendae sint, concludat. Nihil proinde vero similius est, quam hic errorculum paucarum decimarum committere, qui si in duabus stellis modo opposito committatur, duplus efficitur, tubumque a plano meridiani dupla hac distantiola aberrare falso indicabit. Quare Astronomus in tam subtili re viam tutiorem sequitur. Dux huius α Ursae minoris est, sine quo vacillant plerumque observationes culminatorio factae, suumque pretium adeo imminuunt, ut nisi tunc evadant completae, dum per observationem Stellae polaris tanquam cynosuram comprobantur. Observatur ergo et quam diligentissime haec Stella, et quam fieri potest, frequentissime tam in sua supra polum, quam elapsis duodecim horis infra polum culminatione, eruiturque e binis his eiusdem diei observationibus spatium illud, quo Tubus a plano meridiani devians ad verum situm reducendus erit. Intelligitur autem per se motum diurnum horologii adprime noscendum, et eius rationem in dicto calculo

habendam esse. Molesta quidemest huius stellae observatio, quod ob exiguum suum circulum diurnum uno supra quinquaginta minutis primis apud nos opus sit, ut septem reticuli fila percurrat, sed amplissimo, et securissimo eius usu omne fatigium compensatur. Raro vero evenit, ut Astronomo utramque supra, et infra polum culminationem observare liceat, quod pauci in anno sint dies, quibus coelum nubibus non obtegatur. Hoc in casu aliae stellae circumpolares vel inter se, vel cum polari ita sumendae erunt, ut alterius inferior, superior culminatio alterius observetur, nam et hae eadem prorsus ratione adhibitae Tubi deviationem eo adcuratius prodent, quo minus a stella polari in declinatione aberunt.

Ceterum non est absolute necessarium, ut Culminatorium in plano meridiani quam exactissime collocetur; ex inventa enim deviatione facili negotio eruuntur correctiones, quibus observationes aliarum stellarum singillatim sumtarum, quasi hae in ipso meridiano institutae fuissent, emendantur: illis autem, qui Adscensiones rectas ex observatis differentiis deducunt, plane nulla correctione opus est, dummodo tubus ab accepto semel situ non recedat, quod ultimo animadvertendum superest.

Tubus noster meridianus, nam de hoc mihi sermo est, non ita semper satisfecit exspectationi meae, prout conatus, et bene factarum observationum conscientia exoptabat. Saepe situm longo tempore tenaciter retinuisse, aliquando nonnihil deviavisse, et rursus ad priorem locum velut regressum esse deprehendebatur. Ergo et hic vacillatio illa, de qua tot plurium Astronemorum querimoniae! Sed unde repetenda? Culminatorium nostrum sustentant pilae marmoreae et magni voluminis, et ponderis tanti, ut superflue potius, quam minus firmae dici possint, petrae primum, tum solido lapideo fundamento superpositae. His motum aliquem adsignare nimium esset. Alibi ergo qaaerendus. Ex adlatis superius, dum de circulo disserebamus, caussis, perspicuum est, quam facile organum quodvis sola aeris diversi, aut Solis radiorum actione in situ suo turbari possit. Illis isthic silentio praeteritis conii-

cia-

ciamus oculos in partes Culminatorii, earumque mutuam cum toto cohaesionem. Ad recipiendos axis Culminatorii chalibeos cylindros est adparatus quidam, qui canaliculos metallicos continet, in quibus rotatio axis peragitur. Adparatus ille tabulae primum e ferro fusae ope vertebrarum adstringitur, haec vero pilae marmoreae excavatae imposita contra omnes nutus clavis defenditur. Sed quod distantia pilarum in prima collocatione praecise non successerit, et nonnihil maior sit, quam axis tubi postularet, vertebrarum capita adparatum illum ferreae tabulae non ita adstringunt, ut unum corpus efficiant, sed interpositis annulis ab invicem separantur. Quid est ergo vero similius? motumne tam solidarum pilarum, an vertebrarum, consequentur et cheloniorum, quae totum tubum post se trahunt, ab hypomochlio remotorum sive a pondere tubi, sive ab expansione metalli ortam mutationem admittere? Profecto si celeberrimo Ramsden suspicari licuit, ipso ponduculo, quod perpendiculo adpendebatur, induci in totum telescopium variationem, metui apud nos potest inflexio prominentium vertebrarum e quacunque demum caussa oriunda. Interim non omnes tubi a meridiano deviationes huic sunt caussae adsignandae; eximendae sunt in specie illae, quae sive ex ignorantia, sive ex malitia hominum proveniunt: nam quod undecima mensis Junii anni 1819. ad tria ferme secunda Culminatorium a situ suo dimotum deprehenderim, non memoratis hucdum caussis adscribo, sed id opus manuum humanarum esse iudico.

Comparatis ita omnibus, quae ad rectum Culminatorii situm requiri sciebam, ex factis observationibus Adscensiones rectas medias quarumdam stellarum inerrantium depromsi quinque ad id correctionibus usus. 1. pendet ab inaequali distantia fllorum reticuli a medio. Quum enim observatio in septem filis fiat, et haec ad medium tanquam meridianum reducantur, aequalis autem eorum a medio distantia supponi non possit, e multis polo vicinae stellae transitibus distantia haec cognosci, et inde cuiusvis astri declinationi respondens correctio adhiberi debet. E sexaginta quinque stellae polaris Culminationibus distantias filorum reticuli aequatoreas a medio erui

I.	II.	III.	V.	VI.	VII.
44″.66	29″.65	14″.80	14″.75	29″.53	44″.26

2. Adscensiones rectas, non ut antiquis mos erat, per comparationem, sed directe ex observationibus elicui. Quem in finem deviationem tubi ope stellae polaris, aut aliarum circumpolarium detectam, perque factorem cuiusvis stellae declinationi congruum multiplicatam ad observationum tempora adplicui, hacque ratione easdem, si extra meridianum factae fuerunt, ad hunc revocavi, et facta cum praecipuis stellis, praesertim quae Maskelynianarum nomine veniunt, collatione reductionem horologii ad tempus siderale determinavi.

3. Reductione hac, motuque horologii cum competente signo ad tempus horologii adplicitis hoc in siderale converti vicinas plerumque stellas adhibendo, quod saepe difformitatem quamdam in motu horologii adverterim.

4. Restabat, ut ita obtentae Adscensiones adparentes in medias abirent, quod factum est Aberrationem, et Nutationem, quas e tabulis in meos usus compositis potissimum excerpseram, cum signis oppositis adhibendo.

5. Denique ut et conformitas singularium observationum facile dispiceretur, et usus Adscensionum rectarum commodior esset, adminiculo praecessionis annuae, motusque stellarum adhuc cogniti observationes singulas ad initium Anni 1819. reduxi.

Tabula his adiecta Adscensiones rectas medias exhibet, prout eae ex observationibus omnibus in unam summam conflatis per medium Arithmeticum derivatae sunt.

Adscensiones rectas Solis, et Planetarum eodem artificio ex observatis depromsi temporibus in spatium conversas, verum hae non mediae, sed adparentes sunt. Notandum Adscensiones rectas centrorum esse. In sole quidem ex observatis utriusque limbi per fila transitibus centri culminatio immediate sequebatur. In Planetis, quos nullas phases pati videmus, ita rem institui, ut limbi unius ad priora fila reticuli, alterius ad posteriora adpulsus observarem, qua methodo et diametrum planetae horizontalem determinavi, et per hanc observationes ad centrum reduxi.

Ad

Ad definiendum speculae nostrae situm superius solam altitudinem poli, seu latitudinem adtulimus; haec una directio locum non determinat, nisi longitudo eiusdem noscatur. In hunc finem adnexui observationes meas occultationum stellarum per Lunam, Solisque, et lunae eclipsium, e quibus longitudo observatorii nostri a meridiano Parisino computata 1. hor. 6. min. 51. sec. in tempore, seu in spatio 16. grad. 42. min. 45. sec. quam proxime deducta est, quae cum elevatione poli combinata punctum illud designat, quod specula in superficie telluris reipsa occupat.

Postremo in eorum gratiam, qui meteorologicis observationibus delectantur, harum etiam decem annorum lapsu institutarum compendium addere placuit. Continet hoc statum Barometri e singulis mensibus per medium elicitum, et incorrectum, quem excipit status thermometri interni ad corrigendam mercurii altitudinem necessarius, tum sequitur aeris externi temperies media, et in columna proxima status thermometri libero aeri expositi maximus, vel minimus.

Ad annum usque 1818. exclusive instituebantur hae observationes in specula antiqua, reliquae in nova. Ex comparatione plurium discrimen duarum linearum, et unius decimae interesse inter utramque deprehendi, qua correctione adhibita, relatisque ad speculam novam omnibus observationibus, erit in eadem

Status medius

Barometri	Therm. int.	Therm. ext.
$27^{P}\ 4^{l}.62$	$+\ 9^{\circ}.4$	$+\ 8.2$

quodsi ab expansione mercurii per calorem producto liberetur, erit altitudo columnae mercurii in Barometro media 27. poll. 3.9 lin. mensurae Parisinae.

E comparatione meteororum haec licet proxime vera deducere consectaria: Apud nos 91 diebus per annum pluit, 28 ningit, 50 nebu-

la

la est, 95 coelum nubibus totum obtegitur, vento NWgW et frequentissime flante, et atrocissime furente.

Atque haec sunt, quae diariis nostris hucdum abdita in publicum proferre volui suffectura Lectori benevolo ad coniiciendum, me id semper egisse, quo Patriae meae utilis essem, et ad obtinendum erectae speculae scopum pro viribus collaborarem. Animus sane laborandi nunquam defuit, sed in exsequutione officii adeo impediebatur, ut haec ipsa, quae opusculum complectitur, velut furto de coelo sublata existimem. Utpote tam iniqua erant, rerum, et personarum adiuncta, ut non quidvis, quod utile esset, observare, sed serius nec adparatum organicum contingere, immo demum nec ipsa speculae penetralia subire concederetur.

Dabat in monte Blocksberg
prope Budam 18. Februarii 1821.

Auctor.

OBSERVATIONES

DISTANTIARUM A VERTICE

STELLARUM QUARUMDAM INERRANTIUM

CUM CALCULO EARUMDEM.

OBSERVATIONES

DISTANTIARUM A VERTICE

STELLARUM QUARUMDAM INERRANTIUM

CUM CALCULO EARUMDEM

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

Tempus Observationis	Dist. a vert. observata	Red. ad mer.	Temperies	Praecessio	Aberratio	Nutatio	Dist. a vert. ad init. 1819.	Num. Obser.
α URSAE MINORIS SUPRA POLUM								
1816 Julii 22	40° 49′ 23.″10	1.″25	— 4.″79	+47.″55	+19.″22	+ 5.″97	40° 50′ 29.″80	10
24	49 22.65	0.96	— 4.84	+47.45	+18.92	+ 5.97	29.19	10
25	49 23.40	1.20	— 5.08	+47.40	+18.77	+ 5.97	29.26	12
Aug. 9	49 26.21	1.20	— 4.39	+46.59	+16.51	+ 5.93	29.65	10
10	49 26.85	1.56	— 4.59	+46.54	+16.40	+ 5.93	29.57	12
Oct. 4	49 43.32	0.68	— 3.27	+43.60	+ 0.41	+ 5.67	29.05	8
19	49 48.42	0.29	— 2.28	+42.81	— 5.13	+ 5.58	29.43	6
1820 Jan. 14	51 10.50	0.32	+ 0.63	—20.11	—19.69	— 1.63	29.38	8
15	51 9.63	0.27	+ 1.12	—20.17	—19.62	— 1.64	29.05	8
24	51 12.28	0.61	— 0.91	—20.64	—18.76	— 1.67	29.49	8
Oct. 2	51 9.28	0.31	— 4.00	—33.97	+ 1.39	— 3.32	29.07	8
5	51 8.62	0.32	— 3.13	—34.13	+ 0.34	— 3.35	29.03	8
6	51 9.69	0.28	— 2.91	—34.18	— 0.01	— 3.37	28.94	8
Dec. 22	51 30.63	0.21	— 0.30	—38.29	—19.63	— 3.80	28.40	6
29	51 31.25	0.20	+ 0.52	—38.66	—19.97	— 3.86	29.08	6
30	51 31.12	0.57	+ 0.27	—38.71	—20.01	— 3.88	28.22	2
1821 Jan. 15	51 34.75	0.23	— 1.47	—39.69	—19.54	— 3.95	29.87	6
20	51 34.13	0.25	— 0.84	—39.96	—19.16	— 3.97	29.95	8
23	51 34.62	0.14	— 0.70	—40.11	—18.69	— 3.97	31.01	6
24	51 34.50	0.59	— 0.35	—40.16	—18.62	— 3.97	30.81	6
26	51 33.67	0.11	— 1.01	—40.26	—18.36	— 3.97	29.96	6
28	51 33.04	0.08	— 0.89	—40.36	—18.09	— 4.02	29.60	6
29	51 33.17	0.10	— 1.08	—40.41	—17.85	— 4.03	29.70	6
η URSAE MAJORIS INFRA POLUM								
1820 Dec. 22	82 11 29.29	4.81	— 3.87	—35.90	—14.10	— 5.32	82 10 34.91	6
29	21.12	5.28	+ 4.56	—36.25	—15.31	— 5.27	34.13	6
1821 Jan. 20	41.83	3.56	— 7.78	—37.34	—17.82	— 5.47	36.98	6
23	42.58	3.16	— 6.76	—37.49	—17.88	— 5.47	38.14	6
24	26.67	12.43	— 2.66	—37.54	—17.90	— 5.47	35.53	6
27	40.92	3.80	— 7.81	—37.69	—17.95	— 5.51	35.75	6
28	40.91	2.26	— 6.67	—37.74	—17.97	— 5.52	35.27	6
29	44.75	2.10	— 8.85	—37.79	—17.99	— 5.52	36.70	6

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

Tempus Observationis	Dist. a vert. observata	Red. ad mer.	Temperies	Praecessio	Aberratio	Nutatio	Dist. a vert. ad init. 1819.	Num. Obser.
β URSAE MINORIS SUPRA POLUM								
1820 Jan. 9	27° 23′ 20.″13	1.″48	+ 0.″90	+14.″83	+18.″01	+ 5.″96	27° 23′ 58.″35	4
15	21.66	4.07	+ 0.88	+15.07	+18.84	+ 6.05	58.43	8
Febr. 13	28.67	11.88	— 0.56	+16.22	+19.92	+ 6.16	58.53	6
14	19.41	5.22	— 0.03	+16.26	+19.86	+ 6.16	56.44	8
15	27.78	13.86	+ 0.10	+16.30	+19.80	+ 6.16	56.28	8
1821 Jan. 12	9.37	3.79	— 1.76	+29.50	+18.60	+ 7.59	59.51	6
13	5.21	1.72	— 1.56	+29.54	+18.72	+ 7.67	57.86	6
14	4.54	1.91	— 1.37	+29.58	+18.84	+ 7.67	57.35	6
16	10.17	7.18	— 0.71	+29.65	+19.09	+ 7.60	58.63	6
20	2.58	1.82	— 0.13	+29.81	+19.57	+ 7.62	57.63	6
23	2.29	1.86	— 0.10	+29.93	+19.75	+ 7.62	57.63	6
26	4.58	3.28	— 0.42	+30.05	+19.93	+ 7.62	58.48	6
28	2.08	2.17	— 0.24	+30.13	+20.02	+ 7.64	57.46	6
29	2.00	2.20	— 0.29	+30.17	+20.08	+ 7.65	57.41	6
β URSAE MINORIS INFRA POLUM								
1816 Sept. 16	57 34 27.55	14.25	— 5.60	+33.22	+15.67	+ 2.71	57 35 27.80	10
17	34 24.45	16.82	— 6.34	+33.18	+15.46	+ 2.69	26.26	10
18	34 31.67	12.40	— 6.89	+33.14	+15.26	+ 2.67	28.25	12
21	34 31.51	10.23	— 5.69	+33.03	+14.64	+ 2.62	26.34	10
Oct. 4	34 34.80	11.91	— 5.62	+32.50	+11.92	+ 2.56	28.07	12
9	34 38.79	8.96	— 4.68	+32.31	+ 9.76	+ 2.55	27.69	10
10	34 38.30	9.76	— 4.48	+32.27	+ 8.85	+ 2.54	27.24	12
15	34 42.38	6.58	— 4.06	+32.08	+ 7.90	+ 2.49	27.37	10
17	34 39.38	9.92	— 3.41	+32.00	+ 7.24	+ 2.48	27.61	10
18	34 34.54	14.80	— 3.40	+31.96	+ 6.90	+ 2.48	27.28	10
20	34 45.67	7.05	— 4.61	+31.89	+ 6.24	+ 2.45	28.69	6
1820 Jan. 13	36 1.58	2.35	+ 2.94	—15.02	—18.60	— 5.95	27.30	6
14	36 4.06	2.68	+ 1.57	—15.06	—18.72	— 5.95	28.58	8
15	36 2.92	2.75	+ 2.26	—15.10	—18.84	— 5.95	28.04	6
24	36 10.59	2.21	— 1.61	—15.45	—19.75	— 6.05	29.85	8
25	36 6.97	2.05	0.00	—15.49	—19.81	— 6.05	27.65	8
Dec. 22	36 18.67	1.50	— 0.90	—28.62	—14.34	— 7.53	28.78	6
29	36 18.33	1.57	+ 1.23	—28.90	—16.03	— 7.55	28.65	6

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

Tempus Observationis	Dist. a vert. observata	Red. ad mer.	Temperies	Praecessio	Aberratio	Nutatio	Dist. a vert. ad init. 1819.	Num. Obser.
β URSAE MINORIS INFRA POLUM								
1821 Jan. 20	57° 36′ 26.″83	1.″73	— 1.″53	—29.″81	—19.″64	— 7.″62	57° 35′ 29.″96	6
23	36 26.91	1.32	— 1.38	—30.08	—19.64	— 7.62	29.51	6
24	36 26.75	1.44	— 0.64	—30.17	—19.81	— 7.62	29.95	6
26	36 28.41	1.26	— 1.58	—30.35	—19.96	— 7.62	30.16	6
27	36 29.58	0.94	— 1.48	—30.39	—19.99	— 7.64	31.02	6
28	36 29.58	0.99	— 1.30	—30.43	—20.05	— 7.65	31.14	6
29	36 29.62	1.22	— 1.59	—30.47	—20.11	— 7.65	31.02	6
1821 Febr. 11	36 28.42	1.25	— 2.29	—30.68	—20.05	— 7.67	28.98	6
12	36 30.00	0.90	— 1.77	—30.72	—19.99	— 7.69	30.73	6
13	36 30.17	0.90	— 1.91	—30.76	—19.89	— 7.69	30.82	6
14	36 29.58	1.57	— 2.73	—30.80	—19.83	— 7.69	30.10	6
15	36 28.81	1.13	— 1.56	—30.84	—19.77	— 7.69	30.08	6
α PERSEI SUPRA POLUM								
1820 Jan. 14	1 44 28.75	43.19	+ 0.03	—13.94	—11.45	— 6.59	1 43 13.21	2
1821 Jan. 23	3.25	5.62	— 0.02	—27.77	—11.40	— 8.08	10.36	2
28	14.75	14.80	— 0.02	—27.95	—11.24	— 8.11	12.63	2
α PERSEI INFRA POLUM								
1820 Febr. 13	83 9 55.25	8.11	— 8.54	+15.05	+10.19	+ 6.78	83 10 26.84	6
14	46.37	5.93	+ 0.75	+15.08	+10.09	+ 6.78	25.00	6
1821 Jan. 26	48.58	3.03	— 8.38	+27.87	+11.32	+ 8.08	30.50	6
28	44.00	2.85	— 3.58	+27.94	+11.26	+ 8.11	30.58	6
29	39.75	2.57	— 4.54	+27.99	+11.23	+ 8.12	26.11	6
α URSAE MAIORIS INFRA POLUM								
1816 Jul. 17	69 43 10.77	23.77	—14.76	+47.14	+15.16	+ 7.36	69 44 29.44	10
20	43 19.65	16.40	—14.09	+46.97	+14.68	+ 7.36	30.97	10
22	43 21.80	14.18	—15.07	+46.87	+14.36	+ 7.37	29.51	10
Aug. 9	43 26.54	15.15	—14.05	+45.88	+10.99	+ 7.40	31.91	12
1820 Oct. 4	45 12.54	3.51	— 9.81	—33.71	— 4.04	+ 1.73	30.22	6
5	45 11.81	3.92	— 8.98	—33.76	— 4.14	+ 1.73	30.55	8

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

Tempus Observationis	Dist. a vert. observata	Red. ad mer.	Temperies	Praecessio	Aberratio	Nutatio	Dist. a vert. ad init. 1819.	Num. Obser.
				η DRACONIS SUPRA POLUM				
1820 Febr. 13	4° 25′ 40″.00	11″.90	— 0″.21	+ 9″.17	+19″.43	+ 8″.51	14° 26′ 5″.00	8
14	39.75	12.11	0.00	+ 9.19	+19.51	+ 8.51	4.85	8
15	35.85	8.51	+ 0.04	+ 9.21	+19.59	+ 8.51	4.66	8
1821 Febr. 8	45.25	25.14	+ 0.44	+17.26	+18.90	+ 9.22	5.93	6
9	31.75	11.61	+ 0.34	+17.28	+19.04	+ 9.22	6.02	6
10	25.75	5.08	— 0.14	+17.30	+19.10	+ 9.22	6.15	6
11	25.42	5.37	— 0.17	+17.32	+19.15	+ 9.22	5.57	6
12	25.17	5.63	— 0.10	+17.34	+19.35	+ 9.22	5.35	6
13	24.67	4.52	0.00	+17.36	+19.37	+ 9.22	6.10	6
14	22.88	3.90	— 0.12	+17.38	+19.55	+ 9.22	5.01	6
15	22.25	3.98	— 0.02	+17.40	+19.63	+ 9.22	4.50	6
16	22.83	4.57	— 0.17	+17.42	+19.71	+ 9.22	4.44	6
17	19.38	1.88	— 0.15	+17.45	+19.79	+ 9.22	3.81	4
18	22.51	3.20	— 0.36	+17.47	+19.83	+ 9.22	5.46	6
				η DRACONIS INFRA POLUM				
1820 Jan. 13	70 32 41.16	3.97	+ 5.46	— 8.47	—13.87	— 8.38	70 32 19.87	8
14	32 46.67	2.58	+ 3.09	— 8.49	—14.11	— 8.40	21.34	6
24	32 56.19	3.56	— 2.52	— 8.72	—16.47	— 8.44	23.60	8
25	32 49.75	4.62	+ 0.23	— 8.74	—16.56	— 8.44	20.86	6
1821 Jan. 23	33 6.50	2.20	— 1.72	—16.92	—16.37	— 9.20	24.57	6
24	33 4.58	1.56	— 0.26	—16.94	—16.36	— 9.20	23.38	6
26	33 7.17	1.52	— 2.94	—16.98	—17.04	— 9.20	22.53	6
27	33 8.00	1.41	— 2.65	—17.00	—17.14	— 9.20	23.42	6
28	33 9.05	1.20	— 3.03	—17.02	—17.33	— 9.20	23.70	6
29	33 7.12	1.26	— 2.34	—17.04	—17.53	— 9.20	22.26	6
Febr. 7	32 56.54	6.32	+ 2.37	—17.25	—18.83	— 9.21	19.93	6
8	33 0.50	4.00	+ 2.05	—17.27	—18.97	— 9.22	21.01	6
9	33 5.96	1.43	— 1.37	—17.29	—19.01	— 9.22	20.86	6
11	33 11.58	1.55	— 4.11	—17.33	—19.25	— 9.22	23.22	6
12	33 8.92	1.29	— 2.43	—17.35	—19.39	— 9.22	21.82	6
13	33 10.08	1.04	— 2.59	—17.37	—19.51	— 9.22	22.43	6
14	33 12.71	0.92	— 4.00	—17.39	—19.59	— 9.22	23.43	6

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

Tempus Observationis	Dist. a vert. observata	Red. ad mer.	Temperies	Praecessio	Aberratio	Nutatio	Dist. a vert. ad init. 1819.	Num. Obser.
η DRACONIS INFRA POLUM								
1821 Febr. 15	70° 33′ 10.″21	6.″91	— 2.″49	—17.″41	—19.″67	— 9.″22	70° 32′ 22.″33	6
16	33 10.83	1.21	— 2.63	—17.43	—19.75	— 9.22	23.01	6
γ DRACONIS INFRA POLUM								
1820 Jan. 14	80 53 56.96	4.20	+ 8.44	— 0.77	— 8.10	— 9.53	80 53 51.20	6
24	54 15.97	5.42	— 5.52	— 0.79	—11.05	— 9.55	54.48	8
25	54 10.50	3.85	+ 0.75	— 0.79	—11.33	— 9.55	53.43	8
1821 Jan. 24	54 12.25	2.62	— 0.51	— 1.53	—11.33	— 9.30	52.20	6
Febr. 8	54 3.04	9.10	+ 4.40	— 1.56	—15.08	— 9.34	50.56	6
9	54 17.58	2.84	— 3.19	— 1.56	—15.31	— 9.34	51.42	6
11	54 23.58	2.31	— 7.20	— 1.57	—15.69	— 9.33	52.10	6
12	54 21.25	1.99	— 5.26	— 1.57	—15.97	— 9.33	51.11	6
13	54 23.17	2.61	— 5.21	— 1.57	—16.16	— 9.33	53.51	6
14	54 24.46	2.58	— 7.17	— 1.58	—16.37	— 9.33	52.59	6
15	54 21.92	1.67	— 4.22	— 1.58	—16.53	— 9.33	51.93	6
V CAMELOPARDI INFRA POLUM								
1816 Sept. 20	52 32 22.37	1.28	— 5.44	+18.51	—14.74	+ 5.70	52 32 27.68	4
Oct. 17	22.12	3.21	— 3.49	+17.94	—17.27	+ 6.05	28.56	6
η BOOTIS								
1818 Maji 27	28 10 6.06	11.16	— 2.31	+11.02	+ 1.14	+ 0.47	28 10 5.22	4
Jun. 2	10 2.88	6.72	— 2.72	+10.72	+ 2.28	+ 0.42	6.86	4
4	9 57.25	3.31	— 2.62	+10.62	+ 2.68	+ 0.42	5.04	4
10	9 57.06	4.52	— 2.17	+10.32	+ 3.89	+ 0.41	4.99	4
τ BOOTIS								
1818 Maji 27	29 6 43.19	5.42	— 2.40	+10.88	+ 0.91	+ 0.72	29 6 47.88	4
Jun. 2	45.81	6.97	— 2.82	+10.59	+ 2.08	+ 0.70	49.39	4

Distantiae a vertice Stellarum inerrantium.

